

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
LUMBRICIS
EFFRACTORIBVS

QVAM
PRÆSIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO

ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRÆ CVRIOSORVM
ET PETRIPOLITANÆ VT ET REGIÆ SCIENTIA-
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS
SODALE

PRO GRADV DOCTORIS
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

A. d. Mart. MDCCXL.

SVBIICIET

BVRCHARD. HENRICVS BEHRENS
GRAMZOVIA - POMERANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

Pathol. spec.

62, 82

Mb. spec 1602

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or index of some kind, possibly containing names and titles.

Q. B. F. Q. V.
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE

LUMBRICIS EFFRACTORIBVS.

PROOEMIUM.



Inter grauiora delicta, quæ in republica admittuntur, & se- uere coercentur, illud est eorum, qui effracto perforato- que pariete res alienas inuito domino auferunt, aut con- uulsis repagulis & valuis aditus sibi faciunt, quo bonæ leges non permittunt. Id nomen non inepte putauit ad lumbricos, aliaque animalium corpora nostra vndecunque subingressorum genera transferri, quando illa, non contenta surre- pto nobis alimento, ipsum hospitium feroci au- su perforare, & non solum grauissimos dolores inducere aggrediuntur, verum etiam vitam in summum periculum adducunt & haud raro pessundant. Nullam ætatem ab hac spurco- rum animalculorum sæuitia tutam esse, multis medicorum obseruationibus constat. Visum

A 2

ita-

itaque mihi fuit aliqua de hoc argumento, quod nondum dissertatione aliqua tractatum putabam, conscribere. Quum vero eam perfecissem, ostensa mihi & exhibita fuit ante sex annos in academia Basileensi edita dissertatio *de lumbricis intestino perforato per abdomen egressis*: quam si prius conspexissem, aliud thema lubens assumissem. Sed discedendi ab hac mularum sede tempus ad extremum iam decurrens nihil aliud permittebat, quam ex recte ibi scriptis aliqua, in quæ non incideram, cum bona, ut spero, eruditi auctoris venia, in usus n. eos conuertere & meis interserere. Non fuit mei otii & instituti omnia, quæ de lumbricis dici possent, quorumque bona pars valde obscura & ambigua est, attingere, sed effracturam tantum molientes & perpetrantes exhibere conatus sum. Beneuolus lector velit ea, quæ legenda exhibeo, æquo benignoque oculo adspicere, & veniam dare, si non omnia exspectationi suæ satisficient.

§. I.

Lumbricos effractores in titulo posui, quoniam hi potissimum sunt, qui solent corporis nostri continuitatem soluere, intestinaque & alias partes perforare, aut ut perforentur, superueniente inflammatione & suppuratione, efficere. Pridem innotuerunt malignissimi vermes fere capillaceæ teneritudinis, sed longissimi, de
qui-

de quibus eruditissimus GE. HIERONYM. WELSCHIVS suo nomine dignum librum edidit *de vena Medinensi*, qui veterum & recentiorum obseruationes, vsque ad istud tempus prostantes, complectitur. Quoniam autem hic affectus Asiaticis tantum populis, ad mare Indicum degentibus, inhærescit; neque illud animal lumbricis nostratibus conferendum videtur; idemque non alio facile loco, quam per artus exitum sumit: nolimus nunc ad hanc considerationem venire. Ceterum medicis lumbricos dici vermes teretes, intestinorum humanorum infestos hospites, lumbricis terrestribus, quos inter fodiendum in hortis frequenter obuios habemus, simillimos, rem puto notissimam esse, vt nulla vltiori declaratione opus sit. Possintne etiam alii vermes intestinorum, vt ascarides & tineæ, similem noxam inferre; nondum potui certis exemplis comprobare: quare solos nunc lumbricos teretes considerabimus.

§. II.

Effractorum nomen aliquid tropici seu translati habere, iam in prooemio innuimus: sed nimis illud remotum a rei, de qua agitur, indole non putamus. Vere enim effringunt solidos parietes, intestinorum scilicet tunicas, vt vel extra illa vagentur in cauo abdominis, vel vbi intestina peritonæo adnata fuerunt, per membranas, pinguedinem, musculosas fibras, fodicando velliendoque iter sibi quærant. Quod cum fieri non possit, quin dolorum vehementia stricturas, fibrarum autem & vasorum dilaceratio extravasationes humorum producat, qui stagnant, stasin subeunt, inque corruptionem resolutoriam abeunt; hinc subsequuntur vltiores continui solutiones, quæ sæpe cutim etiam aperiunt, vt cum pure effluente exeant. Hinc fit vt omnem, quæ in tali casu accidit, corporis læsionem, solis lumbricis, tamquam efficienti causæ, in solidum tribuere quidem nequeamus: sed necessitati aliarum causarum adscribere partem debeamus.

A 5

Quo-

Quoniam autem quieturæ illæ fuerant, nisi perniciosæ bestię initium totius illius tragœdiæ adornassent, quæ non raro in funestam vitæ catastrophem finitur: ipsis eodem iure euentus omnis tribuitur, quo furi, qui parietem ruinosæ domus effregit, imputari posset si omnis paries corrueret, aut tota domus collaberetur. Sed distinctius tractatio ipsa hæc docebit: hæcque puto ad titulum excusandum sufficere.

§. III.

Illico igitur abibimus ad obseruationum medicarum auctores, vt nos doceant noxas a lumbricis ferocientibus. Venter illos ac intestina vellicare, pungere, grauissimos dolores, vsque ad conuulsiones, producere, non raro mortem inferre, a tot auctoribus, tamque grauibus, scriptum & confirmatum est; vt vix reprehensionem & conuicium totius scholæ medicæ euitaturus sit, qui dubitare de eo velit. Et sane exstant obseruationes de hominibus post dira huiusmodi, imo potius inter illa mortuis, vbi lumbrici a morte ex ore prorepentes sese prodiderunt: quale legitur apud SALMVTHVM *cent. I. obseruat. 26.* Iam vero diri istiusmodi dolores de solutione continui a quacunque causa instante testimonium præbent. Et quum multi plene curati sint, quibus, remittente paroxysmo tali, anthelmintica iusto modo exhibita fuerunt, expulsis scilicet lumbricis: certum sane videtur a lumbricis dira illa omnia, quæ prægressa fuerant, producta fuisse. Enimvero requirenti mihi sectionum a morte institutarum exempla, quibus deprehensi sint intestina egressi, & in abdomine vagantes lumbrici; sane exigua sese messis talium offert. Est tamen luculenta obseruatio, quam Exc. D. D. HEISTERVS *Act. phys. medic. A. N. C. volumini I. pag. 391.* inserendam curauit de puero VII. annorum, in cuius abdomine
inci-

inciso complures iam mortuos, vnum adhuc viuum se-
 sequē inter volumina intestinorum motitantem lumbric-
 cum vidit, longitudine sex digitorum, & crassitie cala-
 mum scriptorium mediocrem æquante. Intestina tenuia
 aliquot foraminibus pertusa erant, inprimis autem in
 aliqua intestini tenuis parte tumor durus, rubens, ali-
 quot foraminibus peruius se monstrabat; per quæ vermes
 transiisse videntur. Atque eidem ciui post aliquot annos
 filiolum eodem fato ereptam fuisse a fide dignis accepit.

§. IV.

Enimuero, quod mireris, longe plura sunt anno-
 tata exempla eorum, in quibus lumbrici per vlcus ali-
 quod in vmbilico aut inguinibus factum prodierunt: quo-
 rum aliqui conualuerunt: alii vita priuati commodam me-
 dicis copiam fecerunt totius morbi omnes rationes cultri
 ope indagandi: de quorum magno numero aliqua præ
 ceteris notabilia adducemus. Virgo XVI. annorum, post
 varia de vermibus indicia, incidit in melancholiam, inuo-
 luntarias gesticulationes, conuulsiones: expelluntur
 multi ascarides: remittit malum: postea sentit dolorem
 rodentem in vmbilico, sentit animal viuum se ibi mo-
 uere: post diros cruciatus tandem prodit per vmbilicum
 lumbricus satis longus: vlcus debite curatur: plane re-
 stituitur. Hunc casum nobilis puellæ legimus *Ephem. Ac.
 N. C. Cent. V. p. 70.* & apparet ex omnibus circumstantiis,
 quod lumbricus forando & fodicando exitum sibi fecerit,
 quoniam diros dolores non nisi XX. horis pertulit, tum-
 que sæuum animal exitu inuento prodiit. Enimuero alia
 se facie offert casus a SALMVTHO notatus *Cent. II. obs.
 61.* Puer rustici filius VIII. annorum, per quatuor iam
 annos sæuissimos circa vmbilicum dolores perpeffus, tan-
 dem saniem ibi emittit: egrediuntur per illum locum
 lumbrici. Chirurgus consolidat vlcus, redeunt crude-
 lissimi

liffimi & intolerabiles cruciatus: liberatur rupta vlceris cicatrice & sanie cum lumbricis egrediente. Sæpius hæc tragœdia redintegrata fuit. Remansit post consolidationem tumor laxus, mollis, subalbidus & nonnihil dolens, subinde pus eructans.

§. V.

Huiusmodi ægrotum, puerum 14. annorum etiam describit LANZONVS in *Epb. A. N. C. Cent. I. obs. 39.* Post exortum vmbilici dolorem febre continua per 14. dies laborabat: apparuit tunc tumor mollis ab vmbilico trium digitorum spacio in dextra regione distans. Rumpitur abscessus maturus, effluit pus: post aliquot dies prodeunt plures lumbrici viui. Chirurgus experientissimus non potuit impetrare consolidationem, manant semper putridi ichores, emaciatur ægrotus, moritur. Quum sectioni subiiceretur, fuit obseruatus canaliculus quidam membranofus, calami scriptorii magnitudinem habens, & latos digitos quatuor longus, ducens originem a tunica interna intestini ilei, vsque ad peritonæum productus, & per quem lumbrici ab intestino ad exitum per abscessum apertum transibant. Vix quisquam dubitauerit in puero, quem Salmuthus descripsit, eundem canalem, quem Lanzonus vidit, adfuisse, & ab eo lumbricos ex intestino ad foramen cutis identidem reptauisse. Sed in nobili virgine, quam antea adducebamus, nihil impedire videtur, quo minus credamus lumbricum rostro suo intestinum alicubi perterebrasse, indeque in abdominis cauum peruenisse. Hic vero cum omnia rimaretur, & forte in illa virgine vmbilicus interius non arcte clausus esset; (quod sæpe in sectionibus inuenitur, meminique me tam patulum ibi ingressum videre, vt fabam mediocrem indere liceret) foramen illud capite subiit, & rostro eius vehementer adacto tenuem cutem superio-

periores continua terebratione tandem effregit & ita diduxit, vt toto corpore posset egredi. Arguunt hoc subito orti & per aliquot horas continuo furore perseverantes dolores, nulla suppuratio, facilis curatio sine rediciua.

§. VI.

Plurima autem sunt exempla eorum, quibus lumbrici per inguina fuerunt egressi: aut, vbi in inguine abscessus factus erat, exitu hoc non contenti hinc ad vicinas partes plus vel minus longe lateque processerunt. Atque tantis effractionibus & suffossionibus aliqui ægroti, quamuis sub maximis cruciatibus, per annos tolerandis suffecerunt, alii autem ad vitæ & miseriarum finem citius deducti fuerunt. Luculentissimam historiam dat laudata disertatio Basileensis, quam in pauca contractam dabimus. Femina rustica LXXIII. annorum, cum antea satis comode degisset, de grauib. abdominis doloribus conqueritur. Quarto die vomendi conatus accedunt, quintoque continuant: reiiciuntur per os tres lumbrici viui. Non remittunt dolores, sed potius figuntur in dextra regione inguinali, hincque ad vicina excurrunt. Rubet tumetque locus: nono die abscessus rumpebatur, prodit lumbricus vltra spithamam longus, viuax, crassus. Hoc facto dolores satis tolerabiles erant, nisi quum ægrota alimenta assumsisset. Semper enim post horæ dimidium grauissime insurgebant: nec longo interiecto tempore per vlcus effluebant quædam esculenta. Sic aliquando pisa, quæ non satis cocta ederat, integra prodibant: alio tempore alia. Semper a durioribus esculentis grauius cruciabatur. Egressis omnibus, quæ præterfluendo hoc ostium attigerant, tranquilla reddebantur omnia. Appetitus inter hæc vigebat, sed corpori parum fructus hinc accedebat. Obseruatum fuit per XII. vltimos dies aluum nihil egeffisse. A mensis Maii initio ad finem Iulii

B

hæc

hæc inter duravit. Quum sectionem institueret D. D. COLTH, auctor illius dissertationis, viscera fere omnia bene constituta inuenit, vt in tanta ætate possunt. Omnis corruptio intestinis tenuibus inhærescebat, quæ inflammata, liuida, & gangrænam maxima sui parte passa erant, vbique autem præter modum inflata, vt æquarent crassorum amplitudinem, si non superarunt. Progressa labe fuerat ad mesenterium. In illa regione, vbi ligamentum vteri rotundum in feminis traicit, intestini tenuis aliqua portio arcte cum peritonæo coaluerat, spacio non maiori, quam quod crucigeram monetam æquaret. Atque per hunc locum recta via penetrabat vlcus inguinis, vt stilus ab exteriori apertura immissus facile hic transmitteretur. Clare patebat nullam rimulam in cauum abdominis hiauisse. Crassa intestina, præter pauca humida, nihil continebant, & ab omni labe erant immunia.

§. VII.

Non multum dissimilis est casus, quem CAR. OFFRE-
DVS *Act. N. C. Decur. II. Ann. I. pag. 318.* dedit. Femina erat pauper, septuagenaria maior; dolore sæuo dextri inguinis corripiebatur, fit abscessus, prodeunt vermes & fæcalis materia: quum hæc inter tres annos, sine solida ope ab medicina, transegisset, vitam finiebat. Ad hanc obseruationem SCHROECKIUS in subiuncto scholio amplam dat notitiam similibus casuum: quorum plures hic adducere nolumus tales, vbi mansit lumbricorum eruptio in inguine: sed subiungemus statim aliquos, ex quibus pateat, quod longius soleant progredi ad alias etiam partes, illisque labem insignem afferre. Ante vero, quam ad eos accedamus, illud adiicere placet, quod SCHELMAMMERVS viderit feminam, talia per annos XVIII. vlcere inguinis subinde consolidato, a quo fere peius semper habuit, deinde recrudescente, passam: quæ historia legi potest

potest *Act. N. C. Decur. II. ann. V. pag. 19. seq.* Hic quoque ciborum particulæ per vlcus sæpe prodierunt, eodem fere ab assumptione illorum interuallo, quod in femina §. VI. adducta indicauimus. Idem auctor foramen, quod exterius patuit, fuisse tantum scribit, vt *frumenti calamus non equaret*: in ægrota, quam D. D. COLTH secuit, depressum fuit aliquanto maius, *per quod apex minimi digiti vix immitti poterat.* Sed longe amplius fuit in femina rustica, quam HENR. SMETIVS *miscellan. medic. p. 566.* describit: scilicet rotundum, *ad aurei Rhenani latitudinem patens, labris in orbem cicatrice obduratis*, per quod intestina inuersa longe propendebant, & per XII. hebdomades omnia assumpta exhibant: quam tamen feminam restitutam fuisse, vt domesticis imo rusticis operibus post quintum annum sufficeret, miraculo proximum videri debet.

§. VIII.

Non leuia sunt facinora lumbricorum, quæ hæcenus vidimus; sed grauiora merito videri debent, quæ sequuntur. Adducam primum exemplum quod *Ephem. A. N. C. Cent. I. medicus Hafniensis, D. D. WAGNERVS* inseruit, & exstat *pag. 363. seq.* Iuuenis quidam exeunte Decembri diris doloribus, vt habebantur, colicis corripiebatur. Eiiciuntur lumbrici, & aliquantum leuatur. Redit malum & cedit per vices, donec Aprili mense lumbricus viuus per penem prodit, quem mox alter etiam sequutus est. Dirus hæc comitabatur & subsequiebatur vesicæ dolor cum dysuria, vrina purulenta, tabe totius habitus lenta. Sed immanissimum tormentum afferebant crebri flatus ab intestino ad vesicam transeuntes, eam extendentes & cum impetu tandem erumpentes. Inter hæc tumor durus in hypogastrio se ostendebat, qui ruptus foetidissimum pus emittebat: ægrotus Iunio incipiente moriebatur. In cadauere secto peritonæum cum colo intestino

stino coalitum inueniebatur, ipsoque illo accretionis loco vlcus erat sordidum, a lumbricis perforantibus, quod in vesicæ fundum porro productum erat. Corruptio sphaelosa partim, partim purulenta, per musculos abdominis ad sinistrum hypochondrium pertigerat. Nec improbabile videtur, quod in illa puerpera, cuius meminit IO. de MVRALTO *Act. N. C. Dec. II. A. V. p. 246.* quod incredibiles in vesica dolores sustinuerit, a quibus lumbrico per aluum excreto illico liberata fuit, similis coli cum peritonæo coalitus fuerit, isteque vermis per fundum vesicæ prodire conatus, deinde ad aluum conuersus fuerit per communicationem cum intestino. Nam pathologia Muraltiana de verme ex ouulo ad renes delato, ibi genito, ad vesicam appulso & ad intestinum deinceps viam sibi parante, nimis est multis ambagibus inuoluta. Colon porro vesicam, & vterum vlcere gangrænoso vidit perforata HARTMANNVS in femina, quæ per muliebria vermem excreuerat, *Act. A. N. C. Dec. III. A. VI. p. 474.*

§. IX.

His casibus lucem præferentibus licebit intelligere alias obscuram historiam, quam vir non vanus HENR. ab HEER *obseru. XII.* consignauit. Scilicet vir quidam in contentione cum alio, silice proiecto in regione pubis sub vespere percutitur: grauitèr inde dolens humi aliquamdiu iacuit, surrexit, domum iuit, parum conquestus est. Altero toto die consuetis muniis functus est: sed vesperi de infano imi ventris dolore querulus, sub medium illius noctis moritur. Sequentis diei diluculo secatur. Nihil in exteriori cute, quo loco lapidis ictum exceperat, deprehensum. Dum inquit obseruator, *in interiora ituri viscera cutem decussatim diuidimus, statim per totum thoracem & abdomen proxime sub epidermide viuos lumbricos, magnos, teretes, strenue se motitantes obseruamus. In sectione pergentibus, locum-*
que,

que, unde prodierunt vermes, quarentibus, video vulnusculum in colo, quodque ipsum tegebat, peritonæo, eo ipso loco, qui ictui respondebat: dilatata vicinia, prodit ex vulnere lumbricus, caput tantum exserens: quo meis digitis educto, secuti mox plures alii. Disputatum tunc fuit, a vermibusne solutio illa continui facta esset ante filicis iactum, per erosionem, an vehemens iactus, intestinis a flatu turgidis crepaturam induxisset. Vltimum vix quisquam crediderit, cum intelligi nequeat, quo pacto lumbrici illi non fuissent potius in cauum abdominis illapsi. Oportet itaque vermes effractores diu ante molitos fuisse perruptionem, & peritonæum, cui colon adnatum fuerat, perforasse: sub illa autem vehementi percussione diuisis & contritis quibusdam fibris, lumbrici minus resistentem locum subierunt, & per cellulosam membranarum substantiam prorepserunt. Minus autem prouide & technice scripsit auctor, quod sub epidermide obuios vermes habuerit; quum sub cute in membrana adiposa eos fuisse vellet dicere.

§. X.

Plura adducere exempla ad intelligendam spurcorum animalium ferociam, magnasque ad nocendum vires, non puto necessarium. Aliqua eorum dubia mihi valdeque suspecta videntur: quale illud est, quod SENNERTVS *prætic. lib. III. p. m. 418.* de SPIEGELIO refert, vidisse eum in corpore mulieris cuiusdam consistentis ætatis, quæ ad tantam maciem redacta erat, vt vix cute & ossibus hæreret, quatuor lumbricos terretes, spithamæ vnus longitudine in ipsum truncum venæ portæ se insinuasse, ac toti corpori alimenti aditum obstruxisse. Vix enim dubium mihi videtur illud, quod Spiegelius lumbricos putauit, fuisse concrementa polyposa: cetera autem niti prisca hypothefi, quod hæc vena sit porta alimenti. Ceterum inter euoluendum & relegendum multas obseruationes de

lumbricis effractoribus, hæc inueni, quod plurimi, quibus id accidit, fuerint homines pauperuli; vnica enim tantum virgo nobilis §. IV. adducta, exceptionem facit: deinde quod illi, qui per inguina abscessu facto prodierunt, dextro latere exitum sibi plerumque parauerint: neque inuenio nisi duo exempla finistri, quorum alterum in *Aët. physico-medic. A. N. C. Vol. 1. p. 295.* exstat; alterum ex BALD. RONSSEO apud SCHENCKIUM refertur. Denique hoc etiam apparet, plerosque, in quibus lumbrici effraturam peregerunt, fuisse senes, atque hos ipsos cum hoc morbo diutius durasse, quam si quos iuniores apprehendisset.

§. XI.

Iam videmur satis ostendisse maleficia, quæ corpori humano a lumbricis effractoribus inferuntur, adeoque historica pathologiæ parte absoluta aditum nobis ad ætiologicam præparasse. Esse autem lumbricos vere hic causam efficientem pauci forte hodie dubitabunt. Sed olim se contra hoc sentientes declarauit iudicare magnus medicus FEL. PLATERVS *prax. med. tom. III. pag. 876.* his verbis: lumbricos diutius retentos adeo etiam intestina rodere posse existimarunt, vt non solum ea perforent, sed & ventrem, atque per eum iuxta inguina aut vmbilicum erumpant: quod haud verosimile, quum nec rostro acuto vel aperto, nec dentibus præditi esse conspiciantur, & sugendo hoc minime possint efficere. Qua propter si illis in locis vermes prodeant, hi certe in sedibus illis exterioribus in abscessu aliquo facto nascentur, & lumbricos minime, sed vermes, quales in vlceribus gignuntur, referent. Vel si ab intestinis lumbrici emergant, vulnus in hisce sedibus præcessisse necesse est. Hactenus Platerus. Sed ratio, ob quam lumbricos absoluere velit, minime satisfacit. Nam quod rostro acuto careant lumbrici, frustra
omni.

omnino dicitur. Satis enim acutum illud videmus in hortorum pratorumque nostrorum lumbricis, qui celeriter terram etiam duram perforant, siue noctu exire, seseque rori exponere, plantasque depasci velint, siue captæ inque locum alium delatæ abdere se rursus cupiant. Licet hoc æstate incipiente & media experiri post noctis medium, si quis accensa candela hortos aut loca pascua, ubi gramen altum non impedit conspectum, perlustrare velit: mirabitur utique infinitam multitudinem horum animalium, quæ etiam per semitas, hominum animaliumque pedibus firmiter per diem calcatas, erumpunt. Si itaque rodere non possunt, si os apertum non habent, quod in medio relinquimus; poterunt propterea fodiendo perforare & fibrarum interstitia diuidere, amplificareque, corpore suo tamquam cuneo interposito.

§. XII.

Cum igitur nequeam PLATERVM sequi, quando lumbricos ab omni culpa liberatum ire videtur; quoniam visum fuit in hominibus antea sanissimis & omni dolore carentibus, intra tam breue tempus, quo nec supparatio nec putredo per naturæ leges fieri & absolui potest, eos effregisse: propterea tamen non negauerim, quin antea vltro largitus fui §. 2. multa in effractionibus hisce obseruari, quæ ingenio & viribus lumbricorum superiora videntur. Concurrunt itaque & inter se complicantur in huiusmodi morbis complura, quæ aliquando etiam accidere eodem prorsus modo videntur, etiam ubi lumbricorum præsentia nullo argumento vel a priori, ut loquimur, vel a posteriori, potest deprehendi. Atque Platerum non omnino reprehendimus, quando dicit lumbricos intestinis per foramen præexistens exire; modo non contendatur id foramen semper sine concursu lumbricorum fieri necessarium esse. Certe casus, illi, quem Smetius §. VII. adductus recensuit

suis

suit, simillimi, visi sunt per multos annos durasse, nullo obseruato lumbrico: de quo legi meretur SENNERTVS *pract. lib. III. p. II. sect. II. cap. 9.* Scilicet herniæ completæ & incompletæ, & in his intestini constrictio & compressio, dolor hinc ortus, cum humorum progressu plus vel minus impedito, illorum a progressu prohibitorum stasis & corruptio, corruptionisque ad vicina progressus, fieri utique sine lumbricis etiam possunt: sed eadem, concurrentibus illis, maiori vehementia fieri nemo negauerit. Itemque quum aliqua a recensitis causis labes inducta fuerit, eam continuo augere & ampliorem reddere fodicantem & vltius terebrantem lumbricum manifestum est, credo, exemplo illius viri iuuenis Dani, cui lumbricus vesicam subingressus incredibilium tormentorum auctor factus fuit: de quo §. VIII. egimus.

§. XIII.

Quum dixerim hernias vel completas vel incompletas mali initium plerumque facere; per completas intelligo, quando totum intestinum, tamquam ad angulum reduplicatum, aliquod cauum peritonæi spatium a quacunque causa productum subit, ibique detinetur: incompletam, si tantum vnicum latus ab angustiori aliquo tali cauo suscipitur & detinetur, cum vel sine coalitu. Huius generis hernias recentiorum obseruationi debemus; viderique de illis instar omnium poterit IO. PALFINVS, tam in libro de chirurgiæ operationibus, quam in anatome ad chirurgorum vtilitatem adornata, vbi plures auctores laudantur. Eiusmodi hernias etiam in tenerrimis & vix vtero egressis obseruari D. D. PRAESES annotauit *Act. phys. med. A. N. C. Vol. I. obseruat. 216.* vt & in brutis obuenire solent. Sed & idem mihi commemorauit a se visos aliquando in vno subiecto binos sibi propinquos hiatus peritonæi instar sacculorum quorundam, ad digiti latitudinem

dinem profundos, in quos facili negotio intestinorum portio recipi potuisse manifestum erat. Siti autem illi erant a dextro latere, ad pollicis distantiam supra illum locum, quo in viris vasa spermatica traiciunt.

§. XIV.

Atque illa de herniis incompletis doctrina clarum reddit, quid sit, & unde sit istiusmodi canalis, ab apertura abscessus ad intestinum perductus, qui impedit ne vel cibi concocti ex tenuibus, vel fœces ex crassis, ex alterutrisque lumbrici in cauum abdominis illabantur, sed recta e corpore eliminari eos facit. Scilicet ipsa est substantia intestini ex vno latere intercepti, temporis progressu in longum extensa, & fine suo cum fundo illius caui in peritonæo coalita. Talis autem appendicula seu processus si est angustior, & lumbricus eum ingressus fuerit, qui doloribus excitatis spasmus, humorumque stasim producit: hæc utique symptomata, vna cum conatibus fodicantis & terebrantis animalculi, perruptionem inducunt tandem: qua facta sanies primum aut pus effluunt, animal autem capite suo subit eandem aperturam, continuatisque nisibus vulnus dilatat. Aegroti dum sentiunt egredientis animalis motum, plerumque succurrunt, arreptumque digitis suis extrahunt. Vbi vero plena est hernia, neque illa expeditur; amplior fit inflammatio & corruptio; hinc maius euadit vlcus, cuiusmodi in femina a SMETIO descripta visum fuit.

§. XV.

Non temere de herniis hic cogitari, docent phænomena lumbricalium effractionum herniæque incarceratæ valde conuenientia. Sic PLATERVS *obs. libr. III. p. 867.* adducit feminam rusticam, quæ cum ex alto desiliisset herniosum tumorem in inguine primum percepit, qui augescens in abscessum abiit, ex quo rupto cibus semicoctus

C

indi-

indies manavit, tandem etiam lumbrici prodierunt. Huic similis est observatio in *Actis physico-med. A. N. C. Vol. I. p. 294.* ubi hernia inguinalis, describitur in abscessum deducta, ex quo tandem lumbrici etiam prodierunt. Atque complures liceret observationes in hanc rem adducere, si in re manifesta testimoniis opus videretur. Conuerto me potius ad attextenda ea, quæ restant, tradendumque usum practicum eorum, quæ hæcenus tractauimus.

§. XVI.

Et primo quidem apparet, quam non contemnendi sint infesti corporis nostri incolæ, lumbrici: quamque iusta sit causa de exterminandis illis, quam primum sentiuntur, cogitandi, ne atrociora facinora ad corporis interitum vel certam labem citius seriusue designent. Sed hæc in hac tractatione nemo requiret ample, cum omni anthelminticorum apparatu, exponenda. Illud pridem monuerunt practici, ferocientes lumbricos directa medicina aggredi haud esse consultum: verum potius operam esse dandam, ut quieti reddantur. Adeoque in efferatis istiusmodi conatibus eorum vix melior esse potest medicina, quam opiata aliqua, qua torporem ipsis inducamus, quod si ab effectu cognoscamus factum, licebit securius subiungere medicinam necandis aut saltem fugandis ipsis directe conuenientem. Sed ubi iam intestina corporis sui aliqua parte egressi fuerint, frustraneam fore opem præuidere licet. Ambigua quoque spes est, ubi in herniis incompletis ad latibula sua se receperint: in completis vero incarcerati angusto loco hæserint, unde reuerti etiam volentibus via non est libera. Tentandum tali rerum statu fuerit, quid exterius illitum valeat oleum petrae, aut ipsi per omnia simile, succini, quod lumbricis tam inimicum multi auctores scribunt. In incompletis certe herniis spes est ab illius particulis, cute penetrata ad illos deductis, retropelli posse ad intestina, unde medicamentis idoneis sunt exturbanda.

§. XVII.

§. XVII.

Si abscessus nulla arte potuit præcaueri, cura eius ex chirurgiæ præceptis ita instituenda est, vt, illo mandato, omni præsidio exturbandis lumbricis, siue per aluum siue per aperturam exituris, studeamus; deinde consolidationi operam impendamus. Successum alii felicem, alii post multa adhibita funestum tamen exitum consequuti sunt: quod observationes supra adductæ, longeque plures apud auctores consignatæ, testantur. Multum hic pendet ab individui curandi indole, constitutione reliqua corporis, obsequio & continentia. Perplacet iudicium auctoris observationis CXXXIX. in volumine primo *Act. physico-Med. p. 295.* naturam vi temperamenti ad spasticos & febriles motus minus propensam, arte conuenienter adiutam, atque tranquillitati restitutam, læsiones intestinorum etiam summe periculosas perfanare posse, quæ alias aliis in subiectis & temperamentis, ad motus spasticos pronioribus, vel ex sua natura vel accedente aliquo in methodo medendi errore præcipites in sphacelum & mortem abeunt.

§. XVIII.

In sanandis huiusmodi vlcerebus maxima difficultas est, & fere desperatus videtur conatus emendandi illud malæ conformationis vitium, quod in incompletis herniis constituit processus ille præternaturalis a cauo intestini tenuis cuiusdam ad peritonæum vsque productus. Hoc enim remanente semper potest accidere vt ab intestinis aliqua contenta in illum confluant, aceruenturque; lumbrici etiam, si qui remanserint, illuc denuo perfugiant, tragoediæque scenam de nouo instruant. Hancque causam fuisse puto, cur toties visi sint istiusmodi abscessus, qui videbantur bene sanati, recrudescere: aut molestias tantas sanati creauerint, vt ægroti causam optandi haberent, vt referarentur. Quoniam vero existant exempla

C 2

pro.

probe & cum durabili tranquillitate sanatorum; medicus etiam certo diiudicare nequit, quam amplus patulusque sit istiusmodi canalis: opera utique danda est, ut facta prius repurgatione abscessus ille consolidetur.

§. XIX.

Laudatur a practicis ad externa intestinorum ulcera decoctum eupatorii cannabini, tam interne potandum, quam externe, ut ulcus eo eluatur foueaturque, idemque etiam, admixto melle rosato, per siphonem iniiciatur. VESLINGIVM illud experimento proprio commendasse, testatur OFFREDVS supra §. VII. citatus, additque SCHROECKIVS id a G. H. WELSCHIO videri petitem. / Is vero *obseru. medic. epigramat. XLVI. pag. 28.* testatur de optimo successu, quem in nosocomio Patauino obseruauerit in homine iam desperato viso: idque seorsim monet, esse decoctum cum vino parandum. Offredus idem satis efficax ad consolidationem promouendam se vidisse testatur: lento tamen ploratu materiae saniosae per vices idem dehiscere visum fuisse. Ab aliis laudari video decoctum lignorum: neque videtur improbabile illo aliquid effici posse, si cetera diæta ad extenuandum instituta coniungatur, ut solebant maiores nostri eam præscribere: & chirurgica auxilia commode afferantur. Magnam sibi famam curandis ulceribus fistulosis in thoracem penetrantibus ante duo sæcula parauit Hispanus chirurgus FRANC. ARCAEVS, cuius de recta curandorum vulnerum ratione tractatus exstat. Huius *libr. II. cap. II.* traditur methodus, qua usus est in eiusmodi fistulis, cum hectica febre, curandis. Adhibet decoctum ligni guaiaci, quod parare ibidem docet. Sed legenti manifestum est, plurimum emolumenti debere proficisci ab accurata diæta extenuatoria. Per complures enim dies ægrotum suum tenuissime nutrit, neque amplius concedit, quam quo ad vitam sustentandam necessarium est. Tempus illud abstinentiæ ad triginta vel quadraginta dies extendi vide-

vide-

videas. Hoc probe administrato, in ægroto obsequente, regimine, aliquid impetrari posse, haud videtur esse desperandum: absque illa autem prouidentia nec ab eupatorio, nec a guaiaco multum præclari fructus videtur expectari posse. Sperari enim cum recta ratione posse videtur sub hac tenui diæta, quæ insuper non nisi optima alimenta concedit, intestina, nullis crudis flatulentisque distenta, posse coire, ipso optimo sanguine in corpore reparato medicinæ efficacissimæ ad repurgandum & consolidandum vicibus fungente. Hæc inter autem obstructionibus præcauendis enematum tempestiuo vsu succurrendum esse facile intelligitur.

§. XX.

Diximus chirurgiæ hic quoque suas esse partes; quæ quidem sunt in mundificando abscessu; eius ambitu contegendo & muniendo, & si quid aliud præsentis rei consideratio suppeditauerit. Sed & in amplioribus vlceris hiatus, & intestinorum ex illo prolapsu, eorum debita repositio requiritur; & procurandum est ne illa iterum elaborantur: itemque vt ea, quæ per intestina descendunt, non per vlceris aperturam effluant, sed ad exitum a natura factum deuoluantur. Quid in tali casu feliciter machinatus fuerit chirurgus Heidelbergensis in femina rustica, cuius §. VII. meminimus, apud SMETIVM ibi adductum legi iuuat. Ceterum monendi erunt homines, qui vniquam tale quid passi conualuerunt, vt sibi caueant a grauioribus laboribus, omniumque in diæta obseruantissimi sint cautelarum, alui magnam repletionem, fæcum detentionem caueant, flatulenta fugiant: ante omnia autem sedulo attendant, ne lumbricis, qui forte iterum in corpore hospitari coeperunt, tempus conualescendi indulgeant. Atque hæc nunc de hoc argumento dicta

S V F F I C I A N T,

NOBI.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

Quid homini non metuendum est, si corporis nostri parietes perfringunt & effodiunt animalcula tantilla, tam exigua ut satis mediocres volucres vel integra, vel leui labore discerpta deuorent & ab iis pinguescant? Mercuriales dicere licebit bestias, non sapientis Hermetis quidem alumnae, sed illius τοιχορῶχου, quem furum & effraetorum praesidem ac patronum vocauit comicorum lepidissimus ARISTOPHANES. Sed heus tu, cur non in mentem tibi venit Mercurius noster, cui viles harum bestiarum animulas in barathrum deducendas committeres? Nam siue in effringendi actu occupatas inueniet, a proposito impediturus videri debebat, siue in herniis, quas incompletas & completas ad effectum terribilem concurrere dixisti, expediendo forte intestino incluso succurreret. Enimuero recte videris mihi fecisse, qui nihil in hoc negotio committere mercurio voluisti, cuius quidem ministerium non satis fidum in istiusmodi casibus saepe visum est. Sed nec certum & securum usum anthelminticum medicinarum mercurialium omisisse dicendus es, qui, rebus quietis ad illa veniendum monuisti. Sed mitto haec & vel tribus verbis facio, cuius causa calamum arripui. Gratulor TIBI studiorum in alma Gryphiswaldensi academia & nostrae Fridericiana strenue cultorum, neque parum in regio instituto medico-chirurgico Berolini auctorum exitum. Faxit DEVS ut plurimum patriae tuae inseruias scientia tua medica, nunc operibus artis edendis confirmanda & comprobanda. I felicibus anibus & rem, Deo iuuante, prospere gere. Vale. a. d.

XVIII. Martii MDCCCXXX.